



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

XXVIII. Qvomodo Detinere Illum ac Episcopum habere voluerint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

QUOMODO A CLODONA
Colobregam intrauerit.

XXVII.

UNDE COLOBREGAM peruenerunt, quæ super litus maris sita est. Sed quia ciues illius pæne omnes more institorum ad exterarum insulas causanegotiandi nauigauerant, illi, qui domi reperti sunt, absentibus suis conciuibus, nihil se noui aggressuros dicebant. Hacq; sub occasione aliquandiu restiterunt euangelio. Tandem exhortationibus crebris ab Episcopo superati sunt. Confirmatis ergo eisdem in fide sanctæ Trinitatis & Baptismo renatis & fundato altari & sanctuario, cæterisq; quæ nascenti Ecclesiæ utilia credebantur ordine peractis, dici vnus itinere distantem à COLOBREGA BELGRADIAM petens, simili operum effectu illic lætificatus est, omnibus se domino sponte applicantibus. Quod ubi factum erat, visum est ei bonum esse commissis quatuor quæ supererant ciuitatibus cum pagis viculis & insulis suos, VNXNOIMIA videlicet, HOLOGOSTA, GOZANGIA, EIMINA, quia tempus eum reuocabat, hyems quippe erat, id quod plantauerat interim irrigare, ne forte dilatando tantum agrum suum, & non etiam excolendo, in vacuum curreret, aut cucurrisset; quin etiam si vltius procederet, ante diem palmarum sicut disposuerat, redire ad suam sedem consecraturus crisma minimè potuisset.

QUOMODO DE TINERE ILLUM
ac Episcopum habere voluerint.

XXVIII.

DISCRETVS ergo pontifex apud BELGRADIAM terminum ponens Euangelij, omnia loca & ciuitates superius nominatas, in quibus semina fidei

fidei sparserat fidelis agricola denuò perlustravit, cogniturus, quomodo se habent sata, & ecce omnes quas imperfectas dimiserat basilicas & Ecclesias, perfectas invenit. Ad opus ergo dedicationis devotus & lætus accingitur, atq; intra deducendum Chrismatis vntione populum confirmas, etiam quam plurimos invenit baptizandos, qui generali baptismo prius interesse non poterant, eo quod in exteris partibus peregrinati negotia sua exercerent, quorum profecto CLODONÆ, IVLINÆ, STETINÆ, maxima erat copia. Mira quippe aviditate, audito quod Episcopus ab eis discedere vellet ad eum confluerunt, infelices se reputantes, quibus sine illius benedictione remanere contingeret. Quæ res in singulis locis aliquandiu eis remorandi causa fuit. Nullam autem civitatem aut locum plantationis suæ relinquere voluit quam nõ semel aut sæpius ante exitu de terra confortationis aut cõsolationis causa reuideret. Talibus ergo visitationibus regione peragrata, consolando, confirmando, atque salutando amicos, paternos, & filiolos suos, in pacis osculo dimisit eos & dimissus est lachrymis & gemitibus dituulsiõis dolorem vtrinque temperantes. Et vt veritas proferatur, multotiens toto conamine eos iugiter apud se retinere moliti, dñ. Episcopum, vt Episcopatum ibi gubernaret, ardentissime rogabant: se ipsos & omnia sua illius ditioni seruire pollicentes. Et vt verum fateamur tanto amore suæ plantationis flagrabat Episcopus, quod voluntatem plenariam apud eos remanendi haberet, sed à clericis suis dissuasus est.

Ggg

DE